
ORATIONES

ET EPISTOLAE

1492-1514

1514





Daunou :

p. 1 } 589
2 }
3 — 676
4 — 462
5 — 533
6 — 715
7 — 714
8 — 711
9 — 974
10 — 494
11 — 668
12 — 480
13 omis
14 — 791
15 — 587

p° 16 — 716
17 — 662
18 — 673
19 — 591
20 — 948
21 (de [illegible] 1519)
22 — 671
23 — 669
24 — 666
25 — 664
26 — 661
27 — 667
28 — 672
29 — 712
30 (pièce de 1514)
31 — 834

{ entre les fts 1 et 2 de cette pièce 4 fts intercalés provenant d'une autre pièce }

(Les numeros de pièce à l'encre sont les seuls exacts)

Orationes Illustrium Virorum.

ز ٢١٠٠

Variorum Epistolæ et
Orationes

conserver ce f^r

Ad Jllustrissimum et sapientissimum Principez Ludouicuz Sfortiam Vicecomitez barri ducem: Jason de mayno iurisconsultus et ducalis senator.

rationem ame romę: in publico consistorio habitam: ad Alexandrum sextum pontificez maximum: crebrę amicorum interpellatio/nes efflagitabant: eorum pręsertim qui non interfue/runt. Ego vero q̃q̃ omnibus in rebus facile ami/corum votis morem gerere soleam: hactenus tamen supprimendaz duxi: cum libentius culpa carere veliz: q̃ culpę veniaz deprecari. Noui seueriorez esse ocu/lorum q̃ aurium censuraz. Pluris quoqz habent duo oculati q̃ centum auriti testes. Pręterea vt est apud Ciceronem illa eadez maiora quum agunt: q̃ quum leguntur videri solent. Et magna pars Demosthenis abesse traditur: quuz legitur potius q̃ quum auditur. Veruz Excellentissime Princeps cum eam nunc ędi iusseris: non fuit mihi amplius in/tegrum recusare: quem maiorem obedientie q̃ famę rationem habere oportuit. Accipe igitur princeps gloriosissime dissertatiunculam: vt tuo nomine prius habitam: ita nunc primum tuo iussu ęditam. Per se quidem tenuis est et ieiuna. Sed ex eo ꝙ celebrem summi sacrorum antistitis materiam contineat: et ꝙ tuis auspiciis elucrubrata: ac tuo nomini sacrata sit: aliquid et plus fortassis q̃ par est glorię consequetur

Vale princeps clementissime: Ex academia ticinensi duodecimo Kalendas Januarii anno sa/lutis dominicę. Mcccc°.lxxxxiii.

f. 1, 128

8

Jasonis de Mayno Mediolanensis: Jurisconsulti: ducalis Senatoris: ac Legati pro inclytissimo Mediolanensium principe: et sapientissimo eius patruo Duce Barri: Oratio habita apud Alexandrum sextum Pont. maximum

[P]Riscorum monumentis accepimus Santissime maxime Pontifex: et vos clarissima mondi lumina: plerosque dissertissimos forensium causarum patronos: non quidem frequentibus comitiis: non multo senatu: nec pleno foro: sed vnius aliquando excelsi viri presentia commotos sic expalluisse: vt et attoniti et quasi elingues redderentur. Magne apud Grecos auctoritatis Demosthenes: qui primas dicendi partes sine controuersia obtinuit: Phocionem conciuem suum Atheniensem non tam eloquentia quam morum grauitate celebrem: ita metuebat ac venerabatur: vt cum in Senatum oraturus accederet coram eo eloqui pertimesceret: submissa ad amicos voce: hic est nouacula seu gladius tonsorius verborum meorum. Curio pater pro Seruii Neuii magna et graui causa Ciceroni responsurus: eius presentia et auctoritate quasi Ticinie venenis: ereptam sibi omnem dicendorum memoriam palam est attestatus. Lucius Crassus Romana facundia disertissimus adeo Quintum Sceuolam socerum veneratus est: vt cum ad petendum consulatum circum forum suplex ire cogeretur nunquam adduci potuit: Ut id presente Sceuola grauissimo et seuerissimo viro faceret: Eum timorem non vestis senatoria aut candida toga: sed sceuole prestantia Lucio inferebat. Idem Lucius Crassus paternam vlturus iniuriam cum apud Quintum maximum aduersus Gneum Carbonem causam acturus fo/

ret: sic eius presentia turbatus est vt totam causam obli/
tus peribeat. Gneus Sicinus pro Seruio Neuio apud
pretorem Romanum virum clarissimum dicturus: idem
passus affirmatur. Omitto quod Marcum ciceronem in cau
sa Miloniana illa tanta dicendi foelicitas omnino desti/
tuit. Pretereo quod demosthenes apud Philippum Ma/
cedonum Regem orationem habiturus sic expauit et ani
mo commotus est vt paucis admodum verbis expressis
obmutuisse feratur. Nam Theophrastus Philosophus elo/
quentissimus apud Alexandrum Regem verba factu/
rus maxima verecundia suffusus nichil effari potuerit.
Nam si tales et tam summi oratores vnius viri presentia
cōmoti defecerunt: nemini mirum videri debet si mihi co
ram summo sacrorum omnium antistite qui dei simul et ho/
minis primum in terris locum tenet: corā excelso pontifi/
calis maiestatis trono: quo nullus in humanis neque sub
limior neque excelsior reperitur in splendissima reueren/
dissimorum Cardinalium corona: in celebri tot presulum
consessu: et tot illustrium ac clarissimorum virorum cōuen
tu: tante rei nouitate et excellētia confuso: precordia pal/
pitant: caligant oculi: artus refrigescunt: gelidusque coit
formidine sanguis. Sed me non parum recreat ac reficit:
cum animaduerto quod eos maiori clementie inniti decet:
quos maiora dignitatum culmina altius extollunt. Natu
ra hoc in brutis ostendit: vt que ceteris prestant man/
suetiores reddantur. Apes iracundissime sunt et graues
in morsu aculeos relinquunt. Earum tamen Rex caret acu
leo Preter nature legem ex saluatore nostro quem cle
mentissimum et super oēs mortales mitissimum scriptura
predicat clementiam discunt qui eius in terris vicem ge

runt:et qui ipsius vestigia sectantur. Nihil est vt Diuus Gregorius inquit quod in pontificali ceruice splendidius fulgeat q̄ humilitas et clementia. Clementia dos est prima Romanorū Pontificum: et nullos magis q̄ summos presules decet. Inde est q̄ quęcunq; xp̄ianorū principum vota quibuscunq; verbis emissa clementer et inoffensa aure excipiunt. Benigne admittunt quascunque salutantium et gratulantium voces. Nec qua verborum pompa: aut quo orationis delectu: sed qua fide et qua deuotione colantur attendunt. Non ex verborū inopia sed ex animi copia vt par est rem metiuntur. Nec minorem bonę voluntatis q̄ culti sermonis habent rationem. Quanto autem grauior est sarcina qua premor: quanto maiori dicendorum fasce vrgeor: tanto maioris erit clementię mecum benignius agere.

Cōgratulaturi igitur patrū Beatissime tuę maiestati: tueq; foelicitati: immo non minus nobis ipsis q̄ tue amplissime dignitati: vel rectius communi vniuerse christiane Reipublice saluti et debitum obedientię ac canonicę deuotionis offitium absoluturi: pro veteri fidelium instituto et prisca catholicorum Principum consuetudine tria breuiter exequemur. Aperiemus imprimis q̄ benemerita fuerit hęc tua cęlestis assumptio: immo q̄ necessaria: ex qua xp̄ianorū oīū animi maximā spē cōceperūt vt lęta p̄sperāq; oīa ī tuo pōtificatu speranda sint. In eaq; haud multo minorē electorū prudētiā q̄ electi meritum ostendemus. Deinde quia modestiam tuam nouimus virtutis actione contentam: Malle bene agere quam bene audire: et gloriam tuam potius factis quam vllius

pdicatione conspicuaz reddere: perstringemus aliquã de tuis laudibus ne si in eis diutius imoremur: pudicas au res tuas offẽdamus potius q̃z oblectemus. Postremo vbi Illustrissimi Mediolanẽsiuz pncipis z sapiẽtissimi eius patrui Ducis Barri: quoꝝ legatõe fungimur: letiti am imortalez: gaudiuz incredibile: et veras gaudii causas significauerimus: extremuz legationis nostrę munus per ficiemus.

Si vnq̃z antea Reuerẽdissimi militantis ecclesię Car dinales diuino spiritu afflati puris mentibus ac recto iu/ dicio electionis sanctę misterium absoluerunt: hac pfecto tempestate z sincerius q̃z vnq̃z z cãdidius ac felicius of/ ficio functi sunt. Te ex sacratissimo conclaui omnium su/ fragiis Pontificez maximum declararunt. Te dominici gregis veꝝ z optimuz pastorem iudicarunt. Tibi vt legi/ timo Petri successori hanc gloriosissimaz summi aposto/ latus sedez contulerunt. Te idoneum decreuerunt qui tã ti regiminis molem sustineres: z totius catholic ecclesię gubernacula moderareris. Tu vero optima eorum de te opinione nulla ex parte inferior suis grauissimis iudiciis non modo respondes: sed etiam vincis supas et excedis. In Romano pontifice duo precipua requiri ex gemina rum clauiuz traditione sacri canones interpretantur: qua rum vna potestatem designat: altera sapientiam. Potesta tem ex fortitudine et magnanimitate constare liquet: ne ti more aut formidine a recto pastoralis officii deflectat: sed impauidus et constans quibuscuuqz refragantibus stre nue fortiterqz resistat. Circunfrementibus vndique tempestatibus non commoueatur animo non concutia tur: sed rectuz in omnia constantemque vultum proferat.

Sit a recto imobilis: a iusto inuiolabilis: a decoro inex/orabilis. Ex ore sedentis in trono procedat gladius bis acutus sicuti Joannes in Apocalipsi scriptum reliquit. Sapientia vero rũ igitur quę nõ soluz litteris ⁊ sacra doctrina constet: sed etiam longo vsu et experientia rerum magistra. Verissime Affrarius poeta opinatus est sapientiã vsus et experientię filiã esse ꝑpterea ꝙ ei qui sapiens esse velit: non libris solis neqz disciplinis opus sit: sz oportere eũ versari exerceriqz in rebus cominns noscendis periclitãdisqz: et proinde sapere atqz cõsulere ex his quę acta et euenta et ipa rerũ pericula docuerint. Ennius Tarẽtinus litterarũ cognitionẽ mancã esse asserebat: si nulla actio: nulla experientia: nulla rerũ expetendaꝝ fugiendarumqz scientia sequať. Plato vir diuinus in Gorgia suo monuit disciplinarum studium sine actione et sine experientia soliuagum ac ieiunum esse: nisi et ea quis sapiat que rerum pericula docent. In experti negotiorum minus apti: minusqz idonei gerẽdis magistratib⁹ semper habiti sunt. Unde Cornelius Silla Marii cõsulis iuuẽtam irridens: remigẽ inquit prius esse oportere q̃z ad gubernacula manus admouere. Solõ Philosophus Athe niensibus suadebat: ne antea Principatũ aut Magistratum appeterent q̃z imperare aut magistratus gerere didicissent. Nõ si potestas fortitudine et animi robore consistit: si sapientia constat non solum litteris sed etiaz multa experientia et longo rerum vsu: exactissimum fuit iudicium huius sacri cardinei Senatus indeligendo te summo Pontifice qui et fortitudine pręstas: et magna sapiẽtia pręditus es. Jam multis magnisqz periculis aperte declarasti q̃z sis inuicta constantis animi magnitudine et

infracto solidissime mentis robore. Tu nec aduersis deterreri solitus: nec secūdis efferri. inflexibili rectitudine: incorrupto iudicio: et integritate incōmutabili idem persistis. In omni vite cursu ad uersus quoscunque fortune impetus eadem frons et idem vultus perdurat. Tibi illud Fabritii Romani cōsulis eulogium merito ascribi potest Te difficilius a recto ꝙ solem a suo cursu auerti posse. Nemo etiam litterarum eruditione cū longo rerum vsu te doctior Nemo varia et multiplici multarum rerum experientia prudentior. Nemo complurium negociorum administratiōe cautior. Nemo longa et assidua diuersarum gentium consuetudine in noscēdis ac librādis hominibus callidior. Nemo rerū antiquarum ac nouarū cognitione peritior. Nemo morū veterū ac nouorum sciētia pstantior. Jā annis septē et triginta ad Cardinalatus apicē euectus: et paulo post in Vicecancellarium assumptus: non solum Romane curie mores ac ritus oēs pcalluisti: nō solū ecclesiarum ac ecclesiasticarum personarum instituta causasq; didicisti: verumetiā secretiora queq; populorum nationū Pricipum: Regumq; negotia ptractasti. Romanorum quinq; Pontificum q te/ antecesserunt Calisti: Pii: Pauli: Sixti: et Innocētii vitas et decreta oīa corā et viuo in speculo inspexisti. Pro apostolica sede varia functus es legatione: psertim Hispaniēsi: Picentina et Parthenopea nō minus sapiēter et psperē ꝙ gloriose. Nō ē ꝙ amplius ex alio discas que tue i hoc pōtificatu gubernādo ptes sint future. Nosti qd xpiana religio reqrat: qd fides: pietas: caritasq; velint: qd platorum officium postulet: qd xpiani gregis tue cure commissi necessitas exigat. Nosti que Romano pontifici conducant: et que sunt neccessaria. Nosti quid Romanum

Pontificē deceat: qd ei liceat: quid expediat. Nosti rōa/
no Pontifici plenā administrationis ptātem non simpl'r
et absolute fuisse attributā: sed claue rationis et prudētię
non errāte. Prius didicisti quib' bonis artib': qua indu
stria: qua sollicitudie: quo studio pastorale officium regi
debeat: q̄z ad illud aspirare p̄sumpseris. Instruct' regen/
di administradiqȝ peritia prius meruisti ad summi saccer
dotij gubernacula assummi. q̄z bene pmeritus assumme
reris. Te ergo consule: te audi: tibi ausculta: tibi obtem/
pera. Non est in quo alterius consilio tibi opus sit. Te
vnum tibi imitandum propone quo nihil in humanis di/
uinius reperias: et qui cęterorum norma et verum es ex/
emplar. Nunq̄z aberrabis si a te ipso nusq̄z discesseris. si
tuo acri ingenio parueris: et tuo grauissimo iudicio fue
ris obsecutus: nihil vnq̄z deerit qd̄ vlla in re in consum/
matissimo Pontifice exigat. Quod si beatas esse Resp.
Plato non minus vere q̄z elegāter monebat: si aut sapien
tes imperarēt: aut eaꝝ Principes sapiētię studio tenerē/
tur. Beatissima es vniuersa christiana Resp. que tam sa/
pientissimi pastoris regimini credita es. Nec m'to minor
vestra laus est sacratissimi Cardinales talem elegisse qui
sapientia sciret et auctoritate posset' tanti regiminis ha
benas recte gubernare. Eum promouistis qui gentium:
principum: morum: consuetudinū: dignitatum: honorum
cognitione et experientia admodum est eruditus: recti/
tudine vero equitate et iustitia inuiolabilis: animi fortitu
dine et constantia in superabilis: vt liquido appareat in
eo ptātis et sapiētię cōiunctionē: ambarumqȝ clauiuȝ re/
ctitudineȝ adesse. Quotiens autem sapientia et potentia
in Romano Pontifice conspirāt: ibi mirabiles effectus

expectandi sunt: quales nunc xpiani omnes prestolantur. Non potestis reuerendissimi Cardinales non optimi cẽseri qui pastorẽ vniuerso gregi xpiano optimũ prospexistis. Proinde cum huiuscemodi sit quẽ elegistis vt non solum ab omnibus elegi et ex omnibus meruerit: verũ etiaꝫ omnibus anteponi et ab oibus debuerit: Immortales vobis et incredibiles gratię turmatiꝫ: cateruatimqꝫ p vniuersum xpianum orbem et habent et agunt. Talem pontificio solio prçfecistis: quo duce: quo pontifice omnia lęta: omnia foelicia sunt speranda. Omnes qui christiana professione censentur eo gubernante: eo aurigãte in maximaꝫ tranquillitatis et prosperitatis spem sunt animis errecti. Grex dominicus tanti pastoris custodię traditus ad lęta pascua deduci sperat. Sub tam consummato Pontifice qui ab omnibus virtutibus summitates apicesqꝫ decerpsit: omnium doctrinarum et omnium ingenuarum artium studia florebunt. Excitabuntur ingenia et scientiarum professores ad excollenda gymnasia prçmiorum spe propensius accẽdentur. Qui doctrina et claris moribus prę stabunt: vel ad sacra consilia aduocabuntur: vel ad altas dignitates extollentur. Jam iam litterarum studia sese errigere et sub tanto virtutum vexillifero altius efferri et in aurea retro secula reduci videntur. Tu auteꝫ Alexander sexte Pontifex maxime suscepisti culmen pastoralis fastigii locum summi sacerdotii: vicariatum christi. Te xpus non vni tantum ecclesię sed vniuersis: non in parte sed in plenitudine prçesse voluit. Dedit te deus in lucem gentium vt sis earum salus vsqꝫ ad extremum terrę. Uocauit te deus in hunc excelsum locum vt lucernam operuꝫ tuorum homines viderent et glorificarent patrem qui in

celis est. Probitas et sapientia tua gradu excellentissi/
mo decorata est: et quasi lucerna super candelabrum in
domo domini posita: vt omnibus non tantuz qui in domo
sunt: sed qui in mondo sunt luceat. Refulxisti quasi luci
dissimum sidus et qnasi stella matutina in medio nebulę.
Quasi sol rutilas in templo dei. De te cum ecclesia vere
dicere possumus: Ecce sacerdos magnus qui in diebus
suis placuit deo: et inuentus est iustus. et in tempore iracū
dię factus est reconciliator: nec est inuentus similis ei qui
conseruaret legem excelsi. Jdeo iureiurando fecit illuz do
minus crescere in plebem suam Fuit beatissime pater hec
tua celestis assumptio Reip. christianę non minus neccesſ
sar ia quam salutaris: si quis publicas clades horrendas
christiani generis calamitates: conuulsa orthodoxę reli
gionis membra secum consideret si quis quantum barba/
rę nationes aduersus christianos populos nō vno: sz inu/
meris locis inualuerint animaduertat. Eo tempore di/
uina bonitas te ecclesię pastorem dedit: quo christiana
Resp. bono rectore auriga perito et moderatore circun/
specto q̄z maxie idigebat. Arbitrab ātur christiani Prin
cipes Maumethe Turcharū rege validissimo vita fun
cto Baissetē filiū maiorē natu: qui paterno Jmpio succes
sit desidię ac turpi ocio vacatuꝝ: et quasi Domitianū alte
rū muscis captādis stiloqz prꝭacuto cōfingēdis icubituꝝ
Sz lōge secus ꝑter oīum opinionē successit: Nā ꝓxima
estate maximas copias ex hellespōto traiecit. Jngētez ac
potētissimā Classez ad quācūqz expeditionē īstructā et ex
peditā hz. Maxio oībus timori fuit cū icertū essz qd mo
liref: quorsuz ei⁹ conat⁹ tēderēt. Nō cōquiescet truculētis
sima bellua christiani sanguis sitibūda: nisi ei⁹ ipei⁹ repri

mantur donec paterno exemplo succẽsus aliqua graui ꝛ miserãda clade xp̃ianos afficiat. Tu ergo Pontifex ma/ xime in pastorem ecclesię es assumptus vt gregi tibi con/ misso bene consulas. Tuuꝫ est excubare ꝛ vigilias agere sup gregeꝫ: ꝛ ex alto troni tui solio speculari futuras cla/ des. Tui muneris est procul arcere hanc imanẽ feram ab ouili dominico: comprimere hostiles barbaroꝝ icursus: et eoꝝ sceuitiã a xp̃ianorũ ceruicibus amouere. Tuaꝝ pti um est pro instaurãda ecclesię dignitate omni studio atqꝫ conatu intendere. Laborare pro viribus vt xp̃iani nois p stinuꝫ decus et Jmpium tua opa restituatur. Jsta haud dif ficulter cõficies cũ i mortali tui nois glia si ut est tui pro/ positi christianę paci q̃ꝫ maxie consulueris. Dissidẽtes iter se Pricipes ac populos auctoritate tua ꝯposueris: ꝛ tua prudẽtia ad vnitatẽ cõcordiamqꝫ redegeris. Nõ poterat tanto negotio cõmodatior adhiberi. Tu nõ tam humano q̃ꝫ diuino consilio assumptꝰ et voles et scies et poteris tã to discrimini ꝓuidere. Quid.n. non credimus posse sancti tatẽ tuã ab imortali deo impetrare ad nr̃am incolumita/ tem. Quid nõ speremus virtute et prudẽtia tua posse in/ stitui: magnitudine cõfici: cõstãtia: vigilãtiaqꝫ obtineri: Quis nõ iussionibus tuis obsequat: quis Jmpia tua recu set. Certatim oẽs cõtendẽt vt quamaxie dictis tuis audiẽ tes cõspiciant. Est tibi a deo reꝝ oĩum tributa ptãs. As/ secutus es vt q̃ꝫtum antea ꝓdesse desiderabas: tantuꝫ et nũc possis. Uoluntati ptãs accessit: et desiderio tuo exe/ quendi facultas est associata. Ocurrendum est in tpe im minenti periculo. Restiguendus ẽ ignis prius q̃ꝫ magis inualescat. Admouẽda est in tẽpore medela: nec est pro/ crastinaudum quoad morbi uis ingrauescens sera reme/

dia aspernetur. Non est tantum periculum negligendum aut parui extimanduz: propterea q nunc barbarorũ conatus ex eorum sentẽtia non successerit. Nosti scissime pater q̃tum erumnarum: q̃tũ detrimẽti xp̄iana Resp. ex Principuz desida: ex Pontificũ negligentia sit perpessa. Nosti nimium que commemorare nunc etiam animus horreat. Sępenumero antecessorum tuorum cũctationem indoluisti: incusasti tarditatem: ignauiam et torporem es de testatus. Maumethani scitarum populi paruis primum viribus vix breuem hellesponti angulum astu et perfidia potius q̃ virtute bellica aut armis occupauere. Deinde creuere viribus et in dies non parum incrementi suis rebus attulerunt: duz Principes christiani inter se dissidẽtes aliorum funestas clades calamitatesq3 negligunt dum priuatis magis q̃ publicis commodis studere credunt Et suę potius q̃ communi christianę vtilitati consulere arbitrantur. Tandem eousq3 ellati sunt et tantis secundarum rerum incrementis intumuerunt: vt vniuersum prope terrarum orbem maxima trepidatione affecerunt. Sic qui negligitur igne de magno cinis sensim vires tantas reassumit: quib⁹ postea haud facile resistit. Quaz sępe ex paruis principiis dum res negligitur grauissima mala proueniunt.

Diximus Sanctissime pontifex de tua fęlici neccessariaq3 vocatione: non q̃tum pro rei dignitate et excellentia dici et potuisset et debuisset: sed q̃tum temporis ratio et breuitatis institutio pręscripserunt. Jam virtutum tuarum pręconia maiore voto quam ingenio paucis attingamus: quę secundas orationis partes absoluant. Nec est Beatissime pater q me pręsentia tua adicendo deterreat

Magis me perspecta animi tui modestia : q̄ presen/tia offendit. Magis me anxium reddit ꝙ eius non sim ingenii :quo possim merita verbis adęquare:et diuinas virtutes ęquo prǽconio celebrare. Nam et pn̄tis laudes quę parce et pudice et sine fallatia afferuntur : nec a sa/pientissimis increpantur. Et sicuti non improbare vitia maligni est:ita inuidi non approbare virtutem. Indignuz quoqz est non commendare et nō admirar i hominē commendatione et admiratione dignissimum:proptere a ꝙ p̄/sens sit :et eius gloriam presentia quasi sacietate langue/scere. Veris laudibus presentia conducit cum presens eas viua attestatione corroboret ac confirmet. Nec mihi etiam fedę assentationis nota obici potest: cum longe maiores sint virtutes tuę q̄ mea sit futura prędicatio. Quid igitur primum assnmam: Quid auspicabor: Unde ordiar:an a patrię et generis splendore :qui nonnihil ad hominis foelicitatem confert. Simonides poeta Lyricorū scriptor nobilem patriam in non mediocrem hominis beatitudinem ducens docuit:beate secundum perfectam ra/tionem victuris imprimis opus esse patriam habere gloriosam. Patrię splendor non in postremis habetur:si se quis tāta patria dignum pręstat. Thales milesius vel vt quibusdam placuit socrates sua patria letabundus tri/bus de rebus gloriari : et deo gratias agere solitus perhibetur. Quod homo esset:et non fera. Quod vir et non foemina.deinde ꝙ Grecns esset:et non Barbarus. Patrię gloria generosis animis calcar ad virtutem : ad res pręclaras stimulum .et ad magna facinora incitabulum prębet. Patria tibi est Hispania : cuius orientale et septentrionale latus Pyrenei montes vn̄ quaqz includunt Reliquę partes vsqz ad Herculeas gades et Bo/

realem occeanum protenduntur. Que in eo montiuz et oceani maris ambitu includuntur quasi alteruz orbem facientia ad Hispaniam spectant: cuius latitudo et longitudo tam multa: tam ampla: et tam immensa est vt plus habeat admirationis q̄z credulitatis. Interfluunt q̄plures fluuii non solum nauigabiles: sed auriferi. Hispania nec estibus obnoxia: nec frigoribus subiecta: media temperie confouetur. Ibi suaues zephiri moles aures exsuscitant. Ibi elisii campi deliciarū et omnis amoenitatis pleni sunt: quos foelices animas incolere Poete decantarunt. Terra opima ferax frugum: fructum et omnium optimarum rerum fertilis: gregibus armentisqz habundat Hec in omni virtutum genere viros prestantes parit: qui et animi et corporis dotibus excellunt: Hęc etiam imperatorum et Romanorum Pontificuz mater: Neruā Traianuz: Hadrianum ac Thedosium hispanos tres Romanos Imperatores tulit. Hęc eadem apostolicę sedi Damasum: dehinc Joannem. xxi. deinde Calistum tertium Hispanos summos pastores dedit. Nouissime te Alexandrum sextum protulit: qui summi pręsulatus fascibus īsignit⁹ Patrię tuę lōge plus spēdoris referas quam ab ea acceperis. Natus ex familia Borgia heroica vetere et honorata: quę Illustres maioruz ac progenitorum tuorum imagines pre se ferat. Sed non vacat stēmata generosissimę familię tuę recensere. Multi preclaro ingenio prediti in his celebrandis certabunt: et accuratiore stilo prolixius immorabuntur. Pręstant et pluris extimantur quę in te ipso sunt q̄z quę circha te forinsecus versantur. Hęc propria et ingenita sunt: illa externa et aliena habentur. Minus quoqz decorum est solis maiorum laudibus censeri: et illustribus auorum monumen/

tis vmbratilem gloriã venari. Creuisti tu virtutibus tuis tuis meritis: tuis laboribus viã tibi aperuisti ad istud fastigium quo nunc es euectus. Talia tibi a puero fundamē ta iecisti: quale edificium in senectute excitandum conceperas. Nescio an natura presagiente: an diuino consilio factum sit: vt quasi ab incunabilis ita vitam tuam instituerés: mores componeres: actiones tuas formares: vt dignus redderéris tanto solio: ad cuius regimen parari et ordinari videbaris. Uacasti illis potissimum virtutibus: illis disciplinis incubuisti: que ad tantum munus obeundum neccessarię videbantur et ad reddendum te tanto sceptro dignum essent acconmodatę. Per rectam artium bonarū semitam progrediens: et per aureos virtutū gradus ascēdens ad foelicitatis apicem es perductus. Accessit formę ellegantia: quę virtuti suffragium addit: lata frons: regium supercilium: facies liberalis: et tota maiestatis plena. ingenuus et heroicus totius corporis decor: vt appareat naturam quoqȝ formę dignitatem indulxisse. quę tibi primum multum gratię et venerationis acquireret. et nunc apostolicã sedē hac tua diuina forma quasi numinis vice decoraret. Post pria litterarū rudimēta deposita ptexta virilem cogã induisti. Petiisti Bononiam bonarū doctrinaruȝ altricem pro assequendo ingenii cultu et sapientia capescēda: ciuitatis fama allectus: et ob Hispanorū achademiam ibi sitam: quę collegiali sodalitate scholasticoqȝ contubernio complures Hispanos in sola litterarū palestra nutrit. Uacasti Pontificię Imperatorieqȝ censure vt que a Romanis pontificibus decreta: que a sacris conciliis sancita essent tu futurus Pontifex maximus non ignorares. Raris concessum est: vt qui ingenii acumine

excellunt: tenacis memorię fęcunditate letentur. Sed in
te adeo cumulate cōcurrūt vt quo magis pręstes: an acri
ori ingenio: an tenaciori memoria non sit facile iudicare.
Intra septennii metam peracto celebri studiorum cursu
doctoreas infulas suscepisti: quoddam futurę felicitatis
pręludium. Interea Calistus auunculus tuus in summum
ecclesię pastorem assumptus: te post aliquod tempus ī sa
crum et gloriosissimum Cardinaliuꝫ ordinem cooptauit:
cum pręsentiret te dei iudicio ad maius tribunal destina/
tum. Te in ecclesię cardineꝫ foelici sydere constituit. quē
futurum totius ecclesię sūmum columen pręuidebat. Col
locauit te in solidam ecclesię columnaꝫ: quę postea altius
supra montem domini excelsum erat erigenda. Nec cuiq̄ꝫ
admirabile videri debet a Calisto summo christi vicario
de te prędiuinatum: qđ de altero Hispano apud gentiles
a fatidica nimpha ante ducentos annos pronunciatum.
Galba de se vaticinatum voluit: oriturum quandoqꝫ ex
Hispania principem dominumqꝫ rerum. Per annos mul
tos quibus Cardinalatus et vicecancellariatus officio fū
ctus es: nemo tuam operam requisiuit: cui non promptis
simam exhiberes. Nemini vnq̄ꝫ iustum patrocinium de/
negasti. Nemo calamitate affectus aut iniuria lacessitus
frustra tuam opem implorauit. Fuit tibi familiare non so
lum petentibus subuenire sed etiaꝫ non petentibus vltro
suppetias ferre. Facile semper ad te aditus patuerūt: nec
maximis aliquando negociis implicitus vnq̄ꝫ es de occu
patiōe causat᷒. Cōsuetudo modesta et familiaris: quā co
mitas ñ sine seueritate cū seueritate hilaritas: cū grauitate
benignitas: pari libra cōdirent. Sermo liberalis et ꝓpo/
situs: et adeo suauis vt tanq̄ꝫ Euripidis a melle et sireni
bus profluere videatur. Tua grauissima responsa inter

Catoniana apothegmata numerari possunt. Quoscunqꝫ te adeuntes non solum benigne excipiebas: verum etiam suauibus verbis familiaribusqꝫ blandimentis demulce/bas. Exemplo Titi imperatoris neminem vnqꝫ abs te tristem abire patiebaris: et diem perdidisse existimabas qua nihil cuiqꝫ prestitisses. Liberalitatem et munificen/tiam tuam: largitiones splendide: sumptusqꝫ magnifici aperte cumulateqꝫ ostenderunt. Infinitum esset singula recensere: quibus dinumerandis non dicam exornandis nec tempus lege Pompeia prefixum sufficeret. Iaꝫ ergo vela contrahã aut canã receptui: et q̄d postremo expedien dum proposui confestim absoluam.

Inclytissimus Mediolanensium Princeps et sapiẽ tissimus eius patruus Dux Barri. vt primum te ad apo/stolicuꝫ culmẽ euectum intellexerunt: cõceperunt animis letitiam inextimabilem: gaudium incredibile: voluptateꝫ incomparabilem. Gaudent non q̄ꝫtum ceteri. sed q̄ꝫtuꝫ ra ri admodum sanctitatis tue deuotissimi: Nec q̄ꝫtum dici vel cogitari potest: sed q̄ꝫtum nec dici nec cogitari fas est. Si enim quisqꝫ gaudere merito debet et debent omnes Illustrissimi Principes nostri qui obseruantia in aposto licam sedem: cultu et deuotione in sanctitatem tuam nemi ni cedunt. In primis gaudent et exultant: et tanta letitia afficiuntur: q̄ꝫtam maximam humani sensus cõcipere pos sunt: cuius magnitudo humanam credulitatem et fidem exuperat. Nihil enim iucundius eis nunciari: nihil gra/tius aut salubrius afferri poterat: q̄ꝫ te pontificale fasti/gium ascendisse: in quo neqꝫ probitatis: neqꝫ sapientie: neqꝫ potestatis: neqꝫ eoruꝫ omnium que in consummatis simo Pontifice exiguntur pars aliqua desiderari potest. Foelix faustusqꝫ illuxit tue sublimationis candidissimus

dies: qui te pontificio solio inaugurauit: Et Principes nostros maximi voti compotes reddidit. Sed cum men/tis gaudia exprimere et causas explicare arduum sit: et animorum sensus oratione adequare dificillimuz habe/atur: immitabor in hac parte Timantem Cithiniuz picto rem egregium qui in depingenda Ephigenię imolatiōe: cum paternum merorem dignis colorum : affectibus exprimere nō posset: vellauit eius caput: et suo cuiqz ani moreliquit extimandum. Existimarunt excellentissimi Principes nostri non aliter melius posse debitum gra/tulationis officium implere: nec aliter efficatius posse pi um humilis et deuotę obedientię obsequium prestare q̄z si ad hoc munus obeundum eos legatos destinarent qui essent ducalis sanguinis necessitudine coniunctiores: hoc officium per seipsos expedire non minoris fuisset discri minis q̄z difficultatis. Illustrez itaqz fratrem et nepotem Hermetem Sfortiam vicecomitem Marchionem stre/nuum: Prestantissimum Heroem Joannem Franciscum Sanseuerinatem Caiacię Comitem et inuictum milita rium copiarum prefectum: Insingem comitem Franciscū Sfortiam ducalem consanguineum: Magnificum pro/cerem Nicolaum Corrigiensem: non minus palladis q̄z Martis artibus excultum: meqz apud eos minimum et indignum delegerunt. Uenimus eorum legati tuę bea/titudini et appostolico trono omnem venerationis et re/uerentię cultum prestituri. Eorum nomine et speciali mā dato deuotissime impartimur quęcunqz a xp̄ianis Prin/cipibus erga summum dei vicarium prestari ꝯuenit. Tue sanctitati perpetuam obedientiam et sinceram deuotiōem cum humili reuerentia exhibemus. Te summuz sacerdo tem: pontificem maximum: patrum patrem: ac pastorum

pastorem profitemur. Te indubitatū Petri successorem legitimum xpi vicarium: et clauigerum regni celestis atte stamur. Tibi tueqꝫ ditioni Principes nostri deuouent ac predicant quicquid opibus valent: quicquid faculta/ tibus possunt: quicquid viribus pollēt. Fortunas omnes copias classes exercitus vniuersum ducale imperium et se ipsos ac liberos in quencunqꝫ rerum euentū prompti/ ssimo animo et constantissima fide exponunt et ante sancti tatis tuę deosculatos pedes deponūt. His omnibus tuo iure vetere: pro tuo arbitrio dispone. nō solū p militātis ecclesię dignitate: pro solii pōtificalis amplitudine: verū etiā pro tuis priuatis et familiaribus cōmodis. Quid. n. illi aut facere pmptius: aut libētius pręstare et maiori cū desiderio vel debēt vel possunt: q̄ꝫ tibi et huic glꝛiosissimę sedi sua oīa dicare: qui vices in terris tenes omnipotētis dei a quo quicquid publice vel priuatim possident preca/ rio recognoscunt. vtere beatissime pater in quancunqꝫ ca tholicam expeditionem firmissimo vicecomitum exercitu. Utere Sfortianis victricibus copiis. Utere ducalibus in fubrium signis: quoquonqꝫ se conferunt certam victo/ riam spondent. Illustria Sfortianorum Principum fa cinora: celebres victorias: parta totiens ex hostibus tro/ phea non solum latium: sed vniuersus orbis et predicat et admiratur. Peculiare illis et hereditarium est: se se ac cerimos et assiduos apostolicę sedis defensores et inde/ fessos propugnatores pręstare. Excipe sanctissime pater et toto animo ac tota caritate complectere: hos inclytissi/ mos Principes sanctitati tue obsequentissimos: quos sē per non minus re et opere q̄ꝫ verbis et oratione promp tos: paratos: expeditosqꝫ inuenies: nec minus memores q̄ꝫ gratos omni euo experieris.

Acta Romę Idibus Decembris. Anno salutis dominicę. M.cccc.lxxxxii. Sedēte Alexandro.vi. Pontifi.max.iconsistorio publico.

Romuleas iussus conscendere Jason in arces
Ut stetit inter tot proceres procerūqȝ coronas:
Illum illum quicunqȝ aderat spectauit: in illū
Lumina flectebant cuncti: stupor ille cateruis
Omnibus: hic aliis laudem et decus abstulit omne.
Dictis quanta venus: quantus fuit ordo leposqȝ:
Quā dulcis per verba sonus: non defuit illi
Clara in voce decor: pulcher ve in corpore motus.
Ipse pater fertur nimia dulcedine captus
Exeruisse caput viridi tiberinus ab amne.
Quin. et sidereo diuum descendit olympo:
Et super humanas gaudens chorus astitit ędes:
Obstupuitqȝ viri taciturno pectore linguam.
Illuȝ maia suā vocis dulcedine prolem
Credidit: hunc fratrem velox Dictina putauit.

Alexander Runinagia

Grecia quid veterem mihi cantat Jasona: verbis
Foemina si rapitur phasias icta suis.
Aspice Romanos meus hic vt flectat Jason:
Certet vt attonito cum Cicerone foro.
Fama vetus sileat. mira omnia moenibus ingens
Fert Mediolanum: sub duce Sforciada.

Nicolaus Scyllatius Siculus.



